

77-672 P

# MEDICAMENTA PURGANTIA

Consens. Exper. Facult. Med. Ups.

PRÆSIDE

Viro Nobilissimo & Generoso

D. D. CAROLO a LINNÉ,

EQUITE AURATO DE STELLA POLARI,  
SIE RÆ M:TIS ARCHIAT. MEDIC: & BOTAN PROFESS.  
ACAD. PARIS. PETROP. ETC. MEMBRO, ET FAC. MED. EDING. SOC. HONOR.

PRO GRADU DOCTORIS,

Proponet

JOHANNES ROTHERAM

Anglus:

In Audit. Carol. Maj. Die 22 Nov. 1775.

Horis a. & p. m. solitis.

---


U P S A L I Æ,  
Apud JOHAN. EDMAN, Reg. Acad. Typogr.

93735

*Errata.*

P.	1.	l.	ult	pro	debet	lege	debeat
	2	2		tollerare		tolerare	
	14		A	bcessum		Abscessum	
	20		;			,	
	3	20	vetriculo		Ventriculo		
	12	1	adeque		adeoque		
	21	15	ſ lobis		ſ globis.		





**E**VACUANTIA ea Medici dicere solent Medicamenta, quæ interne assumta, e Vasis continentibus contenta evanuant.

Vis illa vitæ, quam *Naturam* etiam nuncupamus, ipsa optime sentit, quæ sibi salutaria sunt, quæque noxia; atque hæc peculiari quadam proprietate, selegit separatque per *Odorem* & *Saporem*, quod non in homine tantum, verum in omnibus etiam ceteris animantibus obtinet.\*.

Natura hæc ad omnia, quæ commoda sunt humano corpori & quæ grata dicimus, sese quasi pandit; contra vero ab iis sese retrahit, quæ incommoda sunt & quæ ingrata vocamus.

Motus in Corpore animali omnes a nervis oriuntur, testantibus ex ipsa ratione Physiologis: Per illos insuper motus, quam sæpiissime existunt involuntarii.

Cum Evacuantia Motum producant, sequitur ut in nervos tantum agant: adeoque ab Oolidis motus iste excitatur, Sapida enim in nervos nihil agere existimamus.

A

Oli-

---

\* Ab hoc Canone eximenda putamus quæ ad Regnum pertinent Lapideum cum nihil horum corpus humanum ingredi debet.

Olida vel *suaveolentia* sunt vel *graveolentia*; *graveolentia* autem Natura respuit, nec tollerare potest, his igitur associari debent Evacuantia.

*Graveolentia* numerantur varia, scilicet *Hircosa*, *Nidoroſa*, *Tetra*, *Nauseosa* & *Viroſa*; sed, quod singulare atque maxime mirandum, ex istis sola *Nauseosa* assumta evacuationes ciente excitantque. *Pimpinella* enim, *Linaria*, *Geranium robertianum*, quæ *Hircosa* sunt, minime evacuant; nec *Nidoroſa*, ut *Humulus*, *Absinthium*; nec *Tetra*, ut *Papaver*, *Opium*, *Scrophularia*; multo minus *Viroſa*, ut *Datura*, *Hyoscyamus*.

Quando natura alicujus rei, nimis diu in corpore retentæ, exitum molitur; hoc ope Convulsionis cujusdam peragit: Sic Abcessum maturum, jamque rumpendum Natura suo indicat conamine sive horrore; sic ubi Menstrua propellenda, aut urina, diutius retenta, excernenda, horrorem Natura excitat; sic ultimum certe Naturæ conamen convulsio erit, cum ipse horror levis ejusdem graduus esse videatur: Hinc patet, omnia, quæ corpus evacuant, medicamenta Convulsiva esse, prout Dosis major aut minor fuerit.

Mèdici Medicamenta omnia, quæ ferre Natura non potest, & quæ horrore quodam convulsivo summopere aversatur, magno sane labore conquisiverunt; nec alia in tota Materia medica vegetabilia novimus, quæ hujusmodi vim habent: evanandi, nisi quæ sunt

*Nauseosa.* Quid autem ista sint nauseosa, definire aut verbis exprimere non magis valemus, quam quid sint falsa, acida, dulcia. Quicquid enim per sensus immediate percipimus, definire nullum valet ingenium humanum.

In hac quidem familia nonnulla habemus evacuantia vix odora, qualis est *Cassia fistula*; sed si arborem, unde medicamentum istud producitur, accuratori subjicimus examini, eam nequaquam differre videmus, sed omnia habere communia cum [reliquis *Cassiæ* speciebus; quarum una *Senna* numeratur, planta sane nauseosissima, adeoque aliquid continens nervis inimicum Naturæque intolerabile: similiter res se habet cum *Tamarindis*, quarum vim evacuandi minime dignoscere possumus ex odore; si vero arborem respicimus (*Cassiæ* adeo affinem, ut limites inter illas vix admitterentur, nisi Botanici ob Stamina tria cogerentur diversum constituere genus) eam, sicut *Cassiam fistulam*, nauseosam admodum observamus, cuius qualitatis partem certe nonnullam fructui suo impertitur.

Hæc evacuantia vel vetriculum evacuant ut *Vomitoria*; vel Tubum intestinalem, ut *purgantia*, proprie sic dicta; vel Massam sanguineam, ut *Diaphoretica* & *Diuretica*; vel Uterum, ut *Emenagoga*; vel Glandulas salivales, ut *Sialagogæ*; vel sinum frontalem, ut *Sternutatoria*.

Ad operationes horum ulterius illustrandas medicamentorum, exemplum sit *Asarum*, cuius radix, si in pul-

verem subtilissimum redigatur, ut citatissime in Ventriculo solvatur & vim suam exferat, Vomitorium fit, si pulvis grossior sit, tubum intestinalem, alvum solvendo, evacuat; si radix coquatur \* & in forma liquida propinetur, massam intrat sanguineam; quo casu vel Diaphoreticum evadit vel Diureticum, prout corpus ægroti calidum fuerit aut frigidum: si enim justo calore corpus foveatur, Diaphoreticum erit; sin minus Diureticum. Frustra autem usus vel diaphoreticus vel diureticus inde exspectatur, nisi forma propinetur liquida, ut massam intret sanguineam: Ut Emenagogum denique evadat, motus simul ambulatorius adesse debet. Videmus insuper, pulverem hujus radicis vel foliorum naribus exceptum, sternutacionem caussando, sinum evacuare frontalem.

Evacuantium primariorum seu quæ ipsum evacuant tubum intestinalem, duplex est munus. Prius est evacuatio ipsius tubi intestinalis, in quo generatur Saburra, corpori maligna, ne per hanc, Diæta seu ingestis aliquo modo auctam, excitentur morbi, acido, viscido aut alii cuicunque vitio debentes originem. Alterum est ut eliminantur noxia & superflua e corpore seu e massa sanguinea; nam Natura, optima medicatrix, mala avertere ipsa adnititur, idque facilius, si arte adjuvatur, efficit & quadata porta incongrua ista felicius exterminat. Sic *Hemorrhagia*.

---

\* Verbo monendum, evacuaria diutius cocta, cum eorum vis in Olio volatili consistat, vim suam paulatim amittere & debilitari.

*rbagia narium* avertitur venæfætione; nam Natura liberius per seftam venam educit sanguinem, & in naribus, qua nolumus, desinit fluere, alio dato itinere: Similiter *Podagra retrograda* ad pedes revocatur, applicato epispastico; Natura enim ad locum affectum materiam deducere studet morbosam. Simili modo, per excretiones alvi excitatas, maligna, quæ massæ inhærent sanguineæ, expellere Natura satagit; sicque non solum noxia tubi intestinalis contenta, sed etiam quodcunque in sanguine fuerit vitiosum, eliminat; data enim per alvum porta, eo, quæ fibi repugnant, Natura extrudit.

Medicis olim purgantia propinare difficillimum fuit: nondum enim medicamenta fortiora detecta erant, nec eorum Doses crebris observationibus accurate satis determinatae: Nos vero in feliciore nunc vivimus ævo, dum Officinæ nostræ talibus abundant Medicamentis, ex omnibus fere totius orbis regionibus adductis, quæ haud exiguum jam Materiæ medicæ constituunt partem.

Hæc illustraturi, alteram qualitatem, quam omnia habent evacuantia, nempe Sapidam, intento observare debemus animo, idque non tam ut vim ejus purgandi exploremus, quam ut quasi una fidelia duos dealbemus parietes, vel ne noceamus, in morbo proposito, corpori purgando.

Veteres purgantia secundum sua principia diviserunt, nempe secundum humores, qui corpori humano insunt,

& evacuari debent. Hinc Medicamenta, quæ bilem evacuabant, *Cholagogia* vocabant; quæ pituitam, *Pblemagogia*; quæ aquas, *Hydragogia*; quæ acidum, *Melanagogia*; quæ denique omnes quatuor humores simul evacuare credebantur, *Panchymagogia*. Cum autem hujusmodi purgantia, qua maximam partem, sint imaginaria; nos diversas purgantium species ex sapore discernimus, & pro Cholagogis *Amara* substituimus; pro Phlegmagogis, *Acria*; pro Melanagogis, *Acida*; & pro Hydragogis, *Stiptica*; *Dulcia* denique addimus, infantibus inservitura & teneris, quibus, ob ingratum saporem, alia obtrudere tam facile non possumus.

Nostro quoque tempore purgantia in *Draſtīca*, *Eccoprotīca* & *Purgantīa proprieſic dictā* distinguimus. Locum quidem rarissimum habent *Draſtīca*, morbis tantum difficillimis, ut mentalibus, quietalibus & motoriis convulsivis, ubi sola heroica valent, usurpanda, & quidem suspensa manu atque a peritissimis artis magistris; medicamentum enim heroicum, ut canon habet, in manu imperiti velut gladius est in manu furiosi. Ejusmodi sunt præcipue *Veratrum Colocynthis*, *Elaterium*.

*Eccoprotīca* seu laxantia sunt omnium purgantium lenissima, infantibus recens natis, puerperis & maxime debilibus, qui duriora ægre ferunt, optime inservientia. Qualia sunt *Polypodium*, *Melboacanna*, *Pruna*, *Agaricus*, *Tamarindi*, *Manna*.

*Purgantia* proprie sic dicta, hoc tempore, omnium sunt numerosissima; sed non omnia æque certe ac prompte agunt, nonnulla etiam dubia videntur; qualia sunt *Cyclamen*, *Soldanella*, *Gratiola*, quæ propinari debent viridia & fere vegetantia, ut vim suam exserant, quod etiam observandum est de *Polypodio* inter *Eccoprotica*.

Cum autem purgantia frequentissima sint Medicorum arma, siquidem raro morbus occurrit, in quo hæc haud usurpantur; Medicum omnino his optime instrumentum esse oportet, si prospere morbos debellare velit.

## I. AMARA.

### I. SENNA.

**CASSIA** (*Senna*). foliis sejugis subovatis, petiolis eglandulatis. *Linn. Syst. Nat. ed. 13. p. 327.*

Planta, quæ in officinis nostris prostat, communiter ex Ægypto adfertur, ubi sponte crescit.

Hujus plures habemus varietates, foliis nempe latioribus seu obtusioribus; aliis vero præstat *Senna Alexandrina* foliis acutioribus. Planta est annua, crescens fere ut *Cannabis* & in Europa septentrionali sata vix provenit, multo nisi studio.

*Folia* officinalia sunt, rarius etiam prostant *Siliquæ*, quas Pharmacopolæ folliculos vocant.

Purgans est mitissimum & sane tutissimum, quare etiam Euporiston vulgo est, qui foliorum semiunciam, in-

in petia ligatam coquere solet cum passulis aut prunis. Coctione autem valde debilitatur vis ejus, quamobrem infusum longe præstat.

Dosis *Foliorum* in substantia, ut dicunt, seu pulvere, in qua forma raro adhibetur, haud superare debet se-squidrachmam: In infuso tuto propinari potest ad quantitatem semiunciæ, purgans sane præstantissimum: *Extracti* dosis scrupuli sunt duo, quod etiam rarius usurpatur ob tormina, quæ excitat, pessima. Sæpius medici *Folia sine stipitibus* (i. e. petiolis) præscribunt, cum ex his tormina excitari credantur.

Galli e Marylandia *Scrophulariam* attulerunt, cuius folia, infuso *Sennæ* addita, vim ejus infringunt, ne tormina excitet temporaria: idem vero obtinetur, addito aromatico aliquo vel etiam suffiente liquidi quantitate.

## II. ALÖE

*ALÖE (perfoliata)* floribus pedunculatis cernuis corymbosis subcylindricis. *Linn. Spec. Plant.* 457.

Aloë foliis spinosis confertis dentatis vaginantibus maculatis. *Linn. Mat. Med.* 160.

Planta est Succulenta a *Capite bonæ spei*, ubi sponte provenit & innumeris modis variat, nobis adducta: In utraque India etiam seritur.

Succus hujus plantæ inspissatus in officinis nostris prostat, sub nomine *Aloë*, quæ hac paratur methodo: Folia

Folia a Caule abscinduntur & vasi ligneo verticaliter imponuntur, parte, quæ resecta est, deorsum spectante, ut liquor inde exstillet. Hic in patina ad solem, donec debitam acquirat consistentiam, exsiccatur; & *Aloë Succotrina* Pharmacopolis vocatur. Si vero folia considuntur & succus inde expressus inspissetur *Aloë Hepatica* seu *Cabballina* dicitur, quæ grossior est minusque usui medico apta.

*Aloë succotrina* purgans est præstantissimum, quæ ob ingratum suum saporem, scilicet amarissimum, in forma pilularum plerumque præscribitur.

Dosis ejus maxima scrupuli sunt duo; atque interne hæc semper fere usurpatur, externe vero *Cabballinæ* frequentior usus est. *Extracti* autem dosis haud superare debet semiscrupulum.

Duabus ex partibus componitur *Aloë*, *resinosa* nempe & *gummosa*. Pars Resinosa Sanguinem magis exagitat & calefacit; Hæmorrhoides & Menstrua insigniter pellit; & sane præ alio quoconque purgante. Gummosa tamen pars præstantius purgans est, quam vulgo *Aloëm lotam* vocant; unde habemus pilulas purgantes *Frankfortanas* & *Stablianás*, & apud Svecos, *Stobeanas* | *Boekmanianas-que*, ut alias raseam formulas laudatas.

Vis ejus, utpote *Amara*, *Stomachica* est, optime inferviens Viscerum obstipationibus, Hypochondriasi; aci-

dum infringendō: Contra Vermes etiam quam sæpiissime fausto adhibetur successu.

Externe Aloë applicata egregium est vulnerarium, & Balsamicum, cui usui *Tinctura* optimum præstat effectum.

### III. BRYONIA.

BRYONIA (*alba*) foliis palmatis utrinque calloso-scabris. *Linn. Mat. Med.* 448.

Planta hæc per totam fere *Europam* spontanea crescit ad sepimenta.

*Radix* in officinis prostat, cuius Dosis ad maximum est Drachma, raro in substantia propinatur, sed potius in forma decocti: *Extracti* Dosis communiter scrupuli sunt duo, quod plerumque in pilulis præscribitur: *Fæculæ* nunquam fere adhibentur, cum inertes sint. In Morbis Hydropicis & Convulsivis aliquando usurpatur, sed tamen minus in usu frequenti est apud Medicos.

### IV. COLOCYNTHIS.

CUCUMIS (*Colocynthis*) foliis multifidis, pomis globosis glabris. *Linn. Syst. Nat. ed. 13. p. 728.*

E Regionibus orientalibus, præsertim ex *Alepo*, nobis adfertur hæc planta, & quamvis sit perennis, in Hortis nostris europæis difficile provenit, fructusque nunquam fere fert:

*Poma* ex hac in Pharmacopoliis habemus, quorum *Pulpa*, seminibus exemptis, amarissima est.

Me.

Medicamenti hujus draftici & violentissimi usus magis apud antiquiores Medicos, scilicet *Hippocratem*, *Galenum*, *Dioscoridem* valuit, quam apud recentiores: In Morbis autem contumacissimis, & præsertim in Nervorum chronicis, Viscerumque obstipationibus, præstantissimum est purgans: *Duro nodo durus adhibendus cuneus*. Si vero ex ejus usu Hypocatharsis aut Tormina dolorifica supervenerint, quod quam sæpiissime accidit, copioso olei potu hæc tolluntur. Adeo vehemens est purgans, ut *Pulpa* cum felle bovina commixta & regioni umbilicali imposita strenue purget. *Colocynthis* in quacunque forma, gravidis nunquam præscribenda est, cum abortum causare quam facillime possit.

*Pulpa* minus usurpatur, nisi, in petia ligata, vino sit infusa, cuius Dosis nequaquam superare debet grana sex. *Extractum*, quod commodius quidem, nec tam violenter operatur, adhibere tuto possumus, ad quantitatem granorum sex seu decem, in forma pilularum. *Resinæ* vix ultra grana quinque propinari debent.

Ob effectum violentissimum, medicos cautiores esse oportet in præscribendo hoc medicamento; quod etiam dici potest de sequenti.

#### V. ELATERIUM.

MOMORDICA (*Elaterium*) pomis hispidis, cirrhis nullis. *Linn. Syst. Nat. ed. 13. p. 725.*

Planta est cucurbitacea Colocynthidique valde affinis,

**E** adeoque aliquid nervis inimicum continens; annua insuper est, sterquiliniisque sata optime provenit, fructusque fert.

Ex hac in officinis prostant *Cucumeris asinini Radix*, *Extractum Elaterii* atque *Resina*.

*Radix* raro usurpatur, annua enim est, nec vim purgandi insignem possidet. *Extractum* vero & *Resina* excellentissima sunt purgantia, modo caute adhibeantur.

*Extractum* præparandi modus hic est. Fructus maturus minutim dissecatur, & succus per setaceum exprimitur, qui, intactus per horas nonnullas, ut particulæ crassiores subsident, stare debet; deinde pars tenuis decantatur, crassior autem pars supra pannum linteum exsiccatur, quæ *Extractum Elaterii* vel *Elaterium viride* dicuntur; hujusque dosis maxima scrupulus est. *Resina* obtinetur scarificando fructum maturum, ut succus emanet, qui sole exsiccatur & in officinis servatur sub nomine *Resinæ Elaterii* seu *Elaterii albi*, hujus autem quæ Extracto longe fortior est, vix ultra grana duo vel tria adhibenda sunt.

Heroicum hoc est Medicamentum, cautius tamen suspensa que propinandum manu, nec nisi urgente necessitate & aliis immixtum.

## VI. SPINA CERVI.

**RHAMNUS** (*Catbarticus*) spinis terminalibus, floribus quadrifidis dioicis, foliis ovatis, caule erecto. *Linn. Syst. Nat. ed. 13. p. 194.*

In

In Nemoribus *Europæ* sponte crescit.

Baccæ maturæ in usu sunt, e quibus paratur Syrupus, *Syrupus domesticus* dictus, nauseosus admodum.

Contra Vermes, Arthritidem & Syphilitidem adhibetur, ad quantitatem unius unciae.

Baccæ siccæ raro usurpantur, neque Decoctum. Cortex, qui tinctorius est, etiam purgat, sed rarissime prescribitur.

Famosus ille pulvis purgans, *Pulvis d' Aillaud* dictus, paratur e Baccis immaturis tostis, addito Sachari aliquantulo.

## VII. FRANGULA.

RHAMNUS (*Frangula*) inermis, floribus monogynis hermaphroditis, foliis integerrimis.

*Linn. Syst. Nat. ed. 12. p. 195.*

Frutex indigenus *Sueciæ*, frequens in lucis & pratis humidoribus.

Corticem in officinis habemus, qui propinatur, ad quantitatem semiunciae & ultra, in decocto.

Usus minus apud medicos, quam apud rusticos, frequens est. Egregie tamen purgat & tutissime, absque singulari cautione adhiberi potest.

## VIII. GRATIOLA.

GRATIOLA (*officinalis*) foliis lanceolatis, floribus pedunculatis. *Linn. Syst. Nat. ed. 13. p. 60.*

Planta est perennis; in *Europa* australi crescens, &, quamvis ad Sueciam non pertingat, facillime tamen in hortis hospitatur.

*Herba* recens egregie purgat, sicca parum, si autem diutius servetur, vim suam purgandi omnino amittit. Vomitum, loco alvum solvendi, quam saepissime causat, quare minus usurpari solet. Plerumque adhibetur in forma Decoeti vel aquosi vel vinosi; vel, si vomitum evitare velimus, feri lactis: sed communiter tanquam enema usurpatur.

Dosis *Herbe recentis* duæ sunt drachmæ; *siccæ* autem una sufficit: *Extractum* ad quantitatem unius drachmæ tuto propinare possumus.

## II. A C R I A.

## IX. SCAMMONIUM.

CONVOLVULUS (*Scammonia*) foliis sagittatis postice truncatis, pedunculis teretibus subtrifloris  
*Linn. Spec. Plant. 218.*

Planta est perennis; nobis adfertur a *Smyrna*, *Alepo*, reliisque regionibus orientalibus: Tantam habet affinitatem cum *Convolvulo sepium*, ut difficile ab illo distin-

stinguatur: Lactescens est & purgans, sicut omnes fere Convolvuli species.

*Scammonium officinarum* succus est hujus plantæ e radice extractus, et obtinetur hoc modo: Caput radicis denudatum abscinditur, relicta in humo reliqua radicis parte vegetante, ut succus lacteus inde exstillet, qui, sole exsiccatus, *Scammonium* vocatur. Hoc omnino gummosum est, nam in aqua totum solvitur.

Dosis *Scammonii crudi* grana sunt sex; *Resinæ*, quæ Magisterium est, semiscrupulum; & *Diagrydii*, quod nihil aliud est nisi *Scammonium crudum* fumo sulphuris imprægnatum, etiam semiscrupulum.

Hoc medicamentum, cum omnibus suis præparatis, plerumque tanquam calcar aliis purgantibus additur & rarissime per se præscribitur.

Ex hoc famosuſ ille & præstantissimus pulvis purgans paratur, *Pulvis Comitis Warwickensis* sic dictus, qui vulgo etiam *Pulvis Cornachini* vocatur.

## X. TURPETHUM.

**CONVOLVULUS** (*Turpetum*) foliis quadratis angulatis, caule membranaceo-quadrangulari, pedunculis multifloris. *Linn. Syst. Nat. ed. 13. p. 169.*

Exotica hæc planta nascitur in *Zeylona* & *Malabaria*.

Ra-

*Radix* in officinis prostat, quæ potius caulis dicenda; intus quadrilocularis est. Exolevit fere in Medicina, nam tarde purgat, & ventriculo nocet, teste *Johnstoneo*.

### XI. SOLDANELLA.

**CONVOLVULUS** (*Soldanella*) foliis reniformibus, pedunculis unifloris. *Linn. Spec. Plant.* 226.

Nascitur in littoribus *Europæ* australioris, *Belgii* &c.  
*Herba* in officinis prostat, sed fere exolevit, cum re-  
cens in acetariis edatur & siccata incertis gaudeat  
viribus.

### XII. JALAPA.

**CONVOLVULUS** (*Jalapa*) caule volubili, foliis dif-  
formibus cordatis angulatis oblongis lanceo-  
latisque, pedunculis unifloris. *Linn. Mant. p. 48.*

**MIRABILIS** (*dicotoma*) floribus solitariis axillari-  
bus erectis sessilibus. *Linn. Syst. Nat. ed.*  
13. p. 182.

Plantæ Radix ex *America* australi nobis adfertur.  
Dubium etiamnum est, an *Convolvuli* an *Mirabilis* ra-  
dix genuina sit *Jalapa* officinarum. Mirabilem statuit *Pu-  
mier*, qui ter Americam botanices causa adivit, nec qui-  
dem repugnat radicis facies: *Convolvulus* autem volunt  
*Sloane* & *Houston* nostrates, qui radicem hujus, sub no-  
mine *Jalapæ*, *Pharmacopolis* Londinensis vendiderunt:  
sed in hortis Botanicorum nondum introducta est hæc  
plan-

planta: *Mirabilis* autem *diebotoma* in hortis facillime alitur & provenit, sicut *Mirabilis longiflora*, (*Syst. Nat. ed. 13. p. 182*) cuius radix major est & proprius accedit, quoad faciem externam, ad radicem *Jalapæ* officinarum: Optimus etiam Botanicus *Bernb. Jussieu* hanc genuinam esse judicavit Jalapam.

*Radix Jalapæ* sine molestia purgat & frequentissimum est purgans. Dosis pulveris est semidrachma *Resina* communiter aliis additur purgantibus tanquam *Calcar*; & vix Pilulæ prostant in officinis purgantes, quas hæc non ingreditur. Extractum componitur ex parte resinosa & gummosa simul, sed raro usurpatur.

### XIII. IPECACUANHA.

**VIOLA** (*Ppecacuanha*) foliis ovalibus margine subtusque pilosis. *Linn. Syst. Nat. ed. 13. p. 669.*

Radix est exotica, & in Hortos nostros Europæos nondum introducta.

*Radix officinalis* est, & a variis *Violæ* Speciebus aliquando desumitur; res tamen est haud magni momenti, quoniam plures habemus *Violas americanas* eadem gaudentes qualitate.

Ad Vomitum ciendum præcipue usurpatur, non nihil etiam alvum dicit. Dosis ad Vomitum exitandum a granis sex ad scrupulum numeratur: sed in refracta dosi contra Leucorrhæam valet, & in Hæmorrhagia uteri

teri maxime laudata est a Dno Doct. Dahlberg S. Regis Sueciæ Medico.

Usurpatur frequentissima in Febris intermittentibus & exacerbantibus, in Dysenteria variisque aliis morbis ubicunque ventriculum evacuare volumus.

#### XIV. HELLEBORUS ALBUS.

**VERATRUM** (*album*) racemo supradecomposito, corollis erectis. *Linn. Syst. Nat. ed. 13. p. 757.*

**VERATRUM** (*nigrum*) racemo composito, corollis patentibus. *Linn. Syst. Nat. ed. 13. p. 757.*

Plantæ hæ ambæ in regionibus nascuntur *orientalibus*, sed hyemes nostras in hortis facillime ferunt.

*Radix* in officinis prostat; et nihil sane refert, an ab hac, an ab illa desumatur specie.

Medicamentum est valde drasticum & violentissime purgat. Vomitum quoque nonnunquam excitat loco alvi ducendi, quare vix interne adhibendum est, nisi summa cautione, nec unquam ultra quantitatem sex granorum.

Externe decoctum ad corpus, Scabie infectum, lavandum usurpatur, & in aures, Cophosi premente, cum successu injicitur.

#### XV. HELLEBORUS NIGER.

**HELLEBORUS** (*niger*) scapo subbifloro subnudo, foliis pedatis. *Linn. Syst. Nat. ed. 13. p. 431.*

Nascitur in *Europæ australis Alpibus.*

Ra-

*Radix* in officinis prostat & sane commodissime purgat, etsi negant alii, forsan ob plantam in officinas introductam alienam. *Radix* in pulvere adhibetur ad unius scrupuli quantitatem & in Decocto ad semiunciae. *Extracti*, quod cum aqua pluviali paratur, dosis est semidrachma in forma pilularum.

### XVI. ASARUM.

ASARUM (*europaeum*) foliis reniformibus obtusis binis. *Linn. Syst. Nat. ed. 13.* p. 367.

In *Europæ* locis umbrosis frequens occurrit.

In officinis prostant *Folia* & *Radix*, quæ proprie radix non est, sed potius Caulis supra terram decumbens.

Pulvis radicis subtilissimus vomitum ciet, sed rarissime scopo emetico propinatur, cum meliora emetica habemus; grossior autem pulvis purgat satis commode. Radix cum Aqua cocta Mundificans evadit & Diuretica. Pulvis foliorum communiter, in nares vespere attrahitur, ad nasum purgandum, in Morbis Catarrhalibus; & auribus inflatur in Cophosi. Dosis Radicis est drachmal; *Extracti* autem, quod rarissime usurpatur, scrupulus.

### XVII. CYCLAMEN.

CYCLAMEN (*europaeum*) corollis retroflexis. *Linn. Spec. Plant. 207.*

In *Austria* nascitur & frigus in hortis nostris pertolerat.

Ra-

*Radix* in officinis prostat; recens acerrima est, sed exsiccatione acredinem amittit; cocta esculenta evadit, uti *Latbyrus tuberosus* teste *Gleditsch*.

Recens purgat saepe cum inflammatione, quare minus tutum est Medicamentum. Compositionem habemus in officinis sub nomine *Unguenti Arthanitæ*, quod hæc radix ingreditur, sed nunc fere exoleta est.

SAMBUCUS & EBULUS vix scopo purgandi hodie a Medicis adhibentur, quamvis ruricolæ nonnulli cortice interiore utantur, qui valide purgat.

### III. STIPICA.

#### XVIII. RHABARBARUM.

RHEUM (*palmatum*) foliis palmatis acuminatis. *Linn.*  
*Syst. Nat. ed. 13. p. 319.*

Ratione virium purgandi *Rheum rhabonticum*, *palmatum* & *compactum* fere sunt varietates & differunt tantummodo gradu.

*Rheum palmatum* in *China*, *Sibiria*, *Tartaria* nascitur & lætissime in hortis nostris germinat, locis umbrosis.

*Radix* in officinis prostat. Purgans est præstantissimum, quamvis ob dosin satis magnam difficilius assumatur; tutissimum quoque æstimatur Medicamentum, adeo ut senex octogenarius se ab omnibus aliis medicamentis deceptum fuisse dixerit, sed a Rhabarbaro nunquam.

Post

Post effectum purgandi intestina roboret alvumque aliquantulum adstringit, atque urinam colore luteo tingit, quod vix ab aliis obtinetur purgantibus. Qualitate sua amara Antacidum est, quare in Hypochondriasi, Leucorrhæa & Diarrhæa optime inservit. Dysenteriæ Rhabarbarum proprie dicatum est, adeo ut in hoc morbo eo carere nequaquam possimus. Utpote Tonicum in morbis chronicis, & in Ventriculi vel Intestinorum debilitate maximo cum successu adhibetur; unde Angli nostrates haud raro eum horis matutinis masticant. In febri lenta infantum, a lacte in intestinis coagulato, omnibus aliis Medicamentis præstat. Hepati quoque amica est: unde *Anima hepatis* Veterum, quæ hodie *Anima Rhei*, vocatur, est *Tinctura*. Verbo: *Rhabarbarum* purgans est præstantissimum atque tutissimum, & in omnibus fere casibus, ubi Tabum intestinalem evacuare volumus, æqueto adhiberi potest infantibus, senibus, feminis delicatis, gravidis, puerperis.

Dosis in substantia drachma est, sed vis ejus purgans multum augetur guttula Olei Cinnamomi addita, quod etiam, ne tormina orientur, prohibet. *Tincturam* adhibere possumus ad quantitatem unius alteriusve unciae. *Extractum* vix usurpat. *Decoctum* quoque ob ingratissimum saporem & magnam quantitatem ad purgandum necessarium raro præscribitur.

## V. ACIDA.

## XIX. TAMARINDUS.

TAMARINDUS (*indica*). Linn. Hort. Cliff. 18.

Arbor est *Ægyptiaca* & *Arabica*; sed in Calidariis nostris sterilis.

*Fructus* in usu est.

Eccoproticum est & ob saporem suum acidum optime infervit in Febribus phlogisticis, præsertim ubi Cephalalgia simul vexat, vel ubi Tophi podagrici urgent. Nocere fertur in Dysenteria, Cachexia, & Tussi.

Dosis ejus communiter sunt unciæ tres in Decocto seu Infuso.

## V. DULCIA.

## XX. CASSIA FISTULA.

CASSIA (*Fistula*) foliis 5 lobis ovatis accuminatis glabris, petiolis eglandulosis. Linn. Syst. Nat. ed. 13. p. 327.

Nascitur in Indiis; sed in Hortis nostris sterilis.

Fistula Cassiæ est *Siliqua*, e qua desumitur pulpa, rejectis dissepimentis, seminibus, atque siliquis ipsis.

Dosis *Pulpæ* drachmæ sunt duæ, vel si antiquior sit, unciæ, & in sero lactis cocta ut plurimum adhibetur.

Purgans est commodum; minime enim debilitat & teste *Sanctorio* perspirationem auget. Convenit præser-  
tim

tim in Nephritide, ubi alia purgantia irritant, & in febribus calidis: Infantibus, senibus, gravidis, reliquisque debilibus ut Hæmorrhoidalibus communiter propinatur.

Videmus hunc fructum nil ingrati continentem, sed ex arbore foetida ortum, aliquid occultare nauseosum naturæque intolerabile.

## XXI. POLYPODIUM.

**POLYPODIUM** (*vulgate*) frondibus pinnatis: pinnis oblongis subserratis obtusis; radice squamata.

*Linn. Spec. Plant. 1544.*

Planta est per totam fere *Europam* vulgatissima, in rupibus crescens.

Raro adhibetur, cum recens tantummodo operetur & exsiccatione vim suam omnino perdat. Dosis ejus uncia est una alterave, in aqua decocta vel infusa.

Frequentius in usu est apud *Rheni* & *Mosæ* accolas in Arthritide, vel etiam in pectoris Morbis, cum sit dulcis..

## XXII. MECHOACANNA.

**CONVOLVULUS** *Mechoacanna* dictus.

Planta est obscura, e Brasilia & regionibus adjacentibus nobis adducta.

Securissimum est purgans, benigne & sine molestia operans; usurpatur in Morbis oedematofis, sed nostro ævo raro præscribitur, postquam Jalapa frequentior evaserit. Dosis ejus drachmæ sunt duæ in pulvere:

Ca-

Cavendum est, ne Radix *Mandragoræ*, loco hujus substituatur, unde funesta Symptomata.

### XXIII. AGARICUS.

FUNGUS Laricis Baub. Pin. 175.

Nobis advenit ex alpibus australibus, quam saepissime autem sumitur alias quivis Agaricus aut Boletus. Hinc eum purgare nonnulli negant, unde quoque apparet, Medicamentum hoc nequam esse tutum.

Tarde quidem purgat & ab ejus usu excenta alba evadunt. Dosis ejus in Infuso semiuncia est. Resinæ autem, quæ revera *Extractum*, est semidrachma. Raro per se prescribitur, sed compositiones *Trochiscorum* quam saepissime intrat.

### XXIV. MANNA.

FRAXINUS (*Ornus*) foliolis serratis, floribus corollatis. Linn. Spec. Plant. 1510.

Arbor est *Italiæ* australem inhabitans, cuius succus sole exsiccatus *Manna* vocatur.

Purgans est sane mitissimum & tutissimum; infantibus, feminis delicatis, & prægnantibus inserviens. Becchicum est atque morbis pectoralibus dicatum & præfertim in Asthma humorali. Dosis ejus in Infuso uncia est, vel ultra.

Hæc sunt præcipua purgantia, tamen restant nonnulla minoris momenti; ut *Pruna*, *Alkakengi*, *Passulæ*, *Lapathum*, *Gummi Gutta*, *Euphorbium*, *Cataputia*, cum aliis, quorum singula enumerare, non Dissertatiuncula tantum, sed totum conscribendum foret Volumen.

*FINIS.*